

58

MEMORIÆ 17.  
NOBILISSIMI ET STRENUI  
VIRI,  
**PETRI LENZII,**

METATORUM IN PRÆSENTIBUS IMPE-

rij Comitiis Propræfecti, Circuli Bavariæ & Reip.

Ratisponensis inter auxiliares cohortes, adversum

communem Christiani nominis hostem,

Centurionis pedestris,

*Qui pro patriâ, in prælio, cum Turcis, ad fānum Sti. Gothardi,*  
*commisso, fortiter pugnans occubuit,*

*die 1. Aug. 1664.*

*22. Iulij.*

Hoc, cum exequias ire non licuerit, posthumum pietatis  
& affectus monumentum,


*ad aeternitatem & famam aram  
consecrarunt*

Cognati, Frater, Amici.

**RATISPOÑÆ**

*MENS: SEPTEMBR. ANNO*

*M.DC.LXIV.*



Typis CHRISTOPHORI FISHCERI.


Qui pro Republicâ ceciderunt, in perpetuum per glo-  
riam vivere intelliguntur. Institut: de  
excusat: tut: vel cur.

Detur hoc clarorum virorum posteritati, ut quomodo  
exequiis à promiscuâ sepulturâ separantur, ita in tra-  
ditione supremorum, accipient habeantq; propriam  
memoriam, Tac:16. Annal. c. 17.



1018416

1018416



## D. M. S.

PETRUS LENZIUS, VIR JUVENIS FORTISSIMUS,  
QUEM PARENTIS, PRAEMATURE DEFUNCTI, POSTEA FRA-  
TRIS CURA, LITERIS DESTINARAT, BONISq; ARTIEVS,  
QUARUM IN DIVERSIS ACADEMIIS CULTOR FUIT ET  
AMATOR; SED VEL FATO ITA VOLENTE, VEL INGENIO,  
QUOD SEMPER HABUIT ERECTUM, STIMULANTE, BEL-  
LUM DELEGIT ATQUE ARMA: QUA RATIONE PRAETE-  
RITIS, IN POMERANIA ET HOLSATIA, CÆSAREM IN-  
TER, SVECOS, POLONOS, AC DANOS, MOTIBUS ORTIS  
ADFLUIT NON TANTUM, SED PEDITUM COHORTIS, SUB  
AUSPICIIS CÆSAREIS, DUCE PHILIPPO LUDOVICO, HOL-  
SATIÆ PRINCIPE, VEXILLUM TULIT. ILLIC, REBUS  
COMPOSITIS, INSIGNI TESTIMONIO DIMISSUS, ANTE  
QUADRENNIUM, CUM AUXILIARIBUS, SERENISSIMI BA-  
VARIÆ ELECTORIS, COPIIS, HUNGARIAM INTRAVIT,  
NULLUMQUE BONI MILITIS ET LOCUM TENENTIS OF-  
FICIUM INTERMISIT, TRANSYLVANIAM PERLUSTRAVIT,  
MULTAq; INCOMMODA BELLIS PANNONICIS HAUD IN-  
SOLITA TOLERAVIT, ET ABSUMTIS IN EA EXPEDITIO-  
NE, VARO MORTIS GENERE, PLERISq; IPSE CUM PAUCIS  
COMMILTONIBUS, NON SINE LUCULENTO FIDEI AC

FORTITUDINIS ELOGIO, DIMISSUS, IN PATRIAM SALVUS  
AC SOSPES REVERSUS EST. UNIVERSALIBUS INDE IM-  
PERII COMITIIS, ANTE BIENNIA RATISBONÆ CONGRE-  
GATIS, OPPORTUNE INTERESSE VOLUIT, UBI FRATRIS VI-  
CEM, CIRCA METATORUM PRÆFECTURAM OBIVIT, ET  
CÆSARIS, ELECTORUM, PRINCIPUM AULIS, TRIBUSq; IM-  
PERII CURIIS CUM LAUDE INNOTUIT. MENTEM FINI-  
ENDIS COMITIIS, QUIETI APPLICANDAM, ACRIUS CUM  
TURCIS BELLUM, ITERUM CONCITAVIT. ATq; ADEO  
MISSIS JUXTA IMPERII DECRETUM SLIPPETIIS, POSTU-  
LANTI PATRIÆ OPERAM PROMISIT, CENTURIO, APPRO-  
BANTE CIRCULO BAVARICO, DECLARATUS. ITA DENUO  
JUNCTIS ALIIS, PRONO DANUBIO IN HUNGARIAM DE-  
SCENDIT, GLORIÆ PARANDÆ, REIQ; BENE GERENDÆ VEL  
CUM CERTO VITÆ PERICULO CUPIDUS. ID QUOD OB-  
TIGIT, QUANDO CERTAMINE, QVO CÆSARIS ET IMPERII  
ARMA, CUM TURCIS AD FANUM. S. GOTTHARDI, DIMICA-  
RUNT, HOSTI INGLIENS, FORTITER PUGNANS, NEC  
GRADU CEDENS, HONESTAM ET GENEROSAM, CUM IL-  
LUSTRIBUS SOCIIS, MORTEM TURPI FVGÆ ANTEPONENS,  
OCCUBUIT. PROCÆSARE, PRO IMPERIO, PRO PATRIA.  
PRO RE CHRISTIANA. SERVET CHRISTUS ANIMAM. NA-  
TVS. D. XI. APRIL. M. DC. XXXVI. DENATVS CAL. AUG  
M. DC. LXIV. FIVS REI, MONUMENTVM HOC, QVALE  
CVNq; SIT, MANSVRVM TAMEN. L. M. POSVIT FRATER.

J. C. L.

I. Ia

OS I. S.

In victoriosum simul & luctuosum obitum

Nobilissimi ac Fortissimi VIRI

DN. PETRI LENZII

S. Rom. Imp. Metatorum in Comitijs Pro-Præfeti, & Liberæ  
Ratisbonensis Reip. missæ contra communem Christiani  
orbishostem cohortis, duxoris strenui.

PRO Patria arma ferens, pro CHRISTI nomine pugnans,  
Et pro Cæsareo culmine bella gerens,  
LENZIUS occubuit, medios dum fortis in hostes  
Irruit, & magnâ prælia mente ciet,  
Vivere non potuit melius, non justius unquam  
Vincere, nec famâ nobiliore mori,  
Quam qui castra Dei, qui CHRISTI signa secutus,  
Dum moritur, vitam victor & astra tenet.

Officij erga defunctum, Honorū in  
superstites causa, fundebat.

JO. ALBERTUS PORTNERUS  
Sacrae Cæsareæ Majest, & Serenissimi  
Ducis Württenbergici Consiliarius p.t.  
Reip. patriæ Consul.

OS II. S.

EPITAPHIUM.

Fortia dum Scythicis opponimus arma Tyrannis,  
Et sanctis Patriæ legibus obsequimur;  
LENZIUS, & mecum Patriæ, pia pectora, amantes,  
Hanc premimus, fuso sangvine, corpore humum:

Bis tamen immaneis occisi vicimus hostes !  
Nobiscum pariter Turcaq; Morsq; jacent !  
A victis vinci didicit se posse Tyrannus,  
Victor ubi Inferni & Morris Jesus adest.  
Nos tamen ingressos Cœli Capitolia ovantes,  
In gremio Domini Civica certa manet :  
Ast quos immaneis occisi occidimus hostes,  
Ignea Cocytim ersit, habetq; palus.  
Adspice, pro Patriâ quam sit se impendere pulchrum !  
Et tutum latus carpe, Viator, iter !

B. M. P.

J. H. Ursinus.

• S III. • S

Pro patriâ faustis equidem pugnavimus armis,  
Et sensit nostras barbara turba manus.  
Pugna tamen nimis infelix, quæ sanguine tanto,  
Et tot flebilibus quæ fuit empta rogis.  
Sic victus vitoriq; jacent, & funera ducunt,  
Sic etiam lacrymis gaudia nostra madent.  
Flere juvat FRATREM, præclarum Martis alumnūm,  
Ultimaq; extincti plangere fata mei.  
Ille meus fortis cecidit per vulnera morte,  
Et compos voti, nobilis umbra jacet.  
Reddere dum patriæ vitam, dum vitori obire,  
Et CHRISTO voluit morte probare fidem.

Imq; scrib. Fr.

Joh. Casp. Lenzius, Sacri Palatij  
Cæs. Comes, Sereniss. March. Brandenb.  
Onoltsb, & Reip. patriæ Consiliarius.

IV. NO-

NOBILISS: &amp; AMPLISSIMI

VIRI

JO. CASPARI LENZI

JC. &amp;c. &amp;c.

In

Fratrem nuper dulcissimum,

*quum*

strenue pro patria pugnando occubuisset,

PIETAS,

Carmine obsequij causâ expressa

a

JO. JAC. KERSCHERO.

**H**IC FRATER dilecte jace. Tibi laudis abunde  
 Contigit, haud uno victuraq; gloria seculo.  
 Sic decuit Te nempe mori, sic ponere vitam,  
 Quem patriæ primo genuit pater. Illud acerbunq;  
 Esse tamen fateor, quod non, solatia luctus  
 Exigua ingentis, nostris sed debita votis,  
 Oscula summa tuli, morientisq; artibus hæsi;  
 Quod tenues potius sub yentos yita recessit,  
 Non ore est excepta meo; quod non ego lavi  
 Vulnera, non oculos clausi; cur verba notare,  
 In qua defecit tam dulcis Spiritus? ah cur  
 Haurire haud licuit mandata novissima, & illo  
 Tam tenero in Patriam sensu populumq; Patresq;  
 Ad lacrymas revocare pias? Ah optime FRATER,  
 Credo, unum hoc oculis in morte natantibus, unum  
 Defuit, & dum dulce mori succurrerit in armis,  
 Id saltē doluisse potes. Verum obsecro, manes  
 Netur bet res parva Tuos, tot vulnera pro Te  
 Fortius ah longe, quam vox defecta, loqvuntur,  
 Quotq; Tui guttas campus bibit ille crux;

Pug-

Pugnātem qui Te stupuit; stupuitq; jacentem,

\* *Ancipi-* Tot pariter verbis signasti dexter amoris  
*rem esse in* In Patriam monumenta Tui: quin aurea florū  
*bis talibus* Mox inde exsurget seges, & nunquam \* antea viso  
*ultimam,* Germine distingui mirabitur arva colonus,  
*cum Sciopp.* Germine, cui flores inscripti nomina regum  
*recte, ut pu-* Cedant, cuiq; nihil simile aut Pæstana roseta,  
*to, statui-* Aut celebris cunctis Phæacia proferat annis,  
*mus v. Ma-* Quis non hoc vitam pretio dimitteret? & quis  
*riang. à Fa-* Abditus obscuro mallet lare perdere lethum,  
*no* Bened. Quam cœlo spectante mori? juvat ante tueri,  
*auctarium* Quam pereas, hostis tecum pereuntis inanes,  
*ad Gramm.* Permisitas gemituq; minas; juvat undiq; gratis  
*Philosoph.* Componi lachrymis, & queis miscere tuarum  
*p. m. 73.* Te nullus quid cogat amor: circum alma vagari  
Creditur, & pictis Victoria ludere pennis.

† *Apud Ci-* Hoc prōnam in ferrum mentem, mortisq; capacem,  
*tero. Somn.* Hoc corpus sibi vile facit: sed fortius isto  
*scip.* Quid stimulat tamen, & dulcem per vulnera vitam  
*sis alacrior* Projcere ingentes animas docet, † omnibus illis,  
*ad tutan-* Pro patria nullum queis unquam horrete laborem  
*dum remp-* Consuetudo fuit, quod norunt æthere in alto  
*sic habeto.* Certas dispositas sedes, sine fine beatū  
*Omnibus,* Gaudia ubi, & placidae potiantur tempora pacis.  
*qui patria* Hic quoq. F R A T E R, agis, non qualem Te modo terrā  
*conserva-* Pannoniā tumulus brevis occupat, ore videndum  
*rint, adju-* Pallido, & incomptos concretum sanguine crines;  
*verint, au-* Sed viridi evinctus radiantia tempora lauro,  
*xerint, cer-* Nec priscis dispar Heroibus, inclyta quorum  
*tum esse in* Dextera Bistonij disjecit densa tyranni  
*celo ac de-* Agmina, & æternam peperit sibi funere palmam.  
*finitum lo-* Felix sorte tuā, mi suavis PETR E! sepulcra  
*cum, ubi* Non illuc aurata vehunt, non pinguis amomo  
*beati avo* Vrna, vel è medio missa ales regia busto:  
*sempiterno* Virtuti hic debetur honos, ea cespite raro  
*fruantur;* Corpus sape tegens, pulcra intra sidera mentem

Colligit, & eccl<sup>i</sup> spatiis orbibus addit.  
Nunc Tu, Chare, Tuis conjunctis amoribus, olim  
Præmissos magna sequeris pietate parentes,  
Et Natum Te ritè probas. Virtutibus æquus  
Hos animos laudat genitor, comitumq; piorum,  
Atq; sui in primis PORTNERI vultibus offert  
Visendum tam dulce caput. Testantur oboris  
Affection lacrymis, atq; hæc in verba resolvit  
Lætior ora Senex: Salve optatissime fili,  
( dulce magis nec enim succurrit nomen, & ipse  
Huic pater ignoscit;) Tune ausus fortia Martis  
Castra sequi? Tu molle caput galeaq; gravare,  
Talibus & membris ær atam inducere lamnam,  
Ut patriam assereres, cui nunc funesta mirari  
Excidia, & tota Turcas incumbere opum vi  
Audio? Maecte nova virtute, hæc tempora mores  
Nempe volunt alios; non una vivitur arte.  
Sed quid, quod nimium magna mercede parare,  
Quod gestas, decus, & vitam ipsam impendere famæ  
Non dubitas ferunt? An tantum gentibus in Te  
Barbaricis æqui superi voluere licere?  
Anne hæc præ reliquis plaeuit via, qua super astra  
Non lento raperere gradu? Sic arbitror, & te,  
Barbare, pœna manet; mox justo excita furore,  
Omnis in hostiles ibit Germania turmas,  
Perfidaq; inversis lugebit Thracia fatis.  
Væ, quanta imperio, populoq; parata profano  
Materies flendi est! quales lacrymiasq; ciebunt,  
Et gemitus quales Eoa per oppida matres!  
At Tu, chare puer, latus spectabis honores  
Mecum, spero, tuos: tota in te patria mente  
Versa pios vates pleno ex Helicone receptos  
Instaurare sacrum cineri solemne jubebit,  
Laudes atq; tuas resonando accendere tantum,  
Ut simul arma probent, clament, tractentq; minores.  
Sic erit, ô pulcris sidus nunc addite FRATER

Sideribus, non hæc frustra tibi lingua beati  
Est effata Senis: ruet impius hostis, & ingens  
Cognato ad tumulum tibi concidet hostia ferro,  
Nos etiam sic TE nobis credemus ademptum,  
Ut simul in nostro tua præsens spiret imago  
Pectore, nec memor lux hæc unquam excidat ævo,  
Quam propriam virtute tua tibi, civibus autem  
Communem, & toti fecisti funere genti.

—  
S V. S.  
—

ELEGIA

*Ad Virum Magnificum,*

JO. CASPARUM LENZIUM.

**Q**ualis erat facies lugentis vulnera Phœbi,  
Tænaridis florens qua rāpūere decus:  
Talis erat L E N Z I, juvenem cum fama necaret,  
Noster quo stererat Centurione pedes.  
Sic gemuit, dulci mentem percussus amore:  
Sic roseus toto cessit ab ore color.  
Excidit & magno constantia pectore: suaves  
Nec dedit, ut quondam, lingua diserta sonos.  
Quæ tot consiliis patriæ mens profuit, hæsit,  
Nec jam consilium repperit ipsa sibi.  
Sed nec in immenso Latiarum corpore legum,  
Quo tuto staret ancora fixa, fuit,  
Scilicet Odrysia qui viætima concidit iræ,  
Pectoris æqua tui portio, Frater, eras.  
Non amor est tenuis, quo fratribus optima rerum  
Illa opifex fratres conciliare solet.  
Quis tantum Scythico duratus pectora cœlo,  
Non gemit extincti fratris amore labans?  
Atq; equidem credo, juvenem qui perculit illum,  
Adscelus ingemuit barbarus ipse suum.

Et

Et quem non poterat peregrinus flestere sanguis,  
Inflexit virtus & iuvenile decus.  
Pone tamen, qua mvis justum, vir magne, dolorem :  
Non tibi, quod vulgo terrigenisq; , licet.  
Succedant humili graviora negotia curæ :  
Et spargat radios vultus, ut ante, suos.  
Non ego, quæ fando cumulari plurima possunt,  
Non mortis jubeo Te meminisse, genus,  
Quo periit frater, cum pluribus, arma coruscans;  
Quo tot militia fulmina, totq; duces :  
Quo Latius Turnus, quo Trojus occidit Hector :  
Sponte sua Decij quod cupiere pati.  
Non belli formam repeleo, quo frangere Lunæ  
Gens pia Threijcæ cornua sæva parat ;  
Immanesq; feras, sacris expellere regnis,  
Perditaq; imperio reddere membra suo.  
Præmia nec referam, quæ vel post fata superstes,  
Aut quæ per cœli templa reportat ovans.  
Nec, quod supremo non est fraudatus honore,  
Sed tumulus fidus membra quieta tegit.  
Dignus, Lesbiaco solidus qui marmore surgat :  
Dignus, quem circum plurima laurus eat.  
Sunt hæc magna quidem plebi solamina; sed te  
Quod firmet, L E N Z I, mens mea majus habet.  
Te tantæ præclara comes victoria cladis  
Erigat, & tristis funere mixta salus.  
Privatum patriæ dones, generose, dolorem,  
Illijs & vitam fratre liberiter emas.  
Occidit hic equidem, sed non impune : trecentos  
Jussere unius fata subire vicem.  
Perfidus ille latro, quæ fecit vulnera, sensit :  
Nec se jaæbat quis nece, P E T R E, tua.  
Ille tuus sanguis, patriæ quem fundere juvit,  
Lubricum erat, fortes quo cecidere Spahæ.  
Incipit his gradibus lapsare potentia regni,  
Quo nullum vastus vastius Orbishabet.

Bistonijam scepta tremunt Busiris : & le  
Imbelli damnant arma celumta manu.  
**Territa** falsiloquo metuit gens sœva Corano ,  
Et majore suas impete munit opes.  
Jamq; Muhammedis trepidans accedit ad aures,  
Jam prona facie nostra periclarogat.  
Ille graves dicit marcenti pectore somnos :  
At Christus gladio vindice cinctus adest.  
Pone igitur jam non justum, vir magne, dolorem :  
Nec sine, secretus pectora mœror edat.  
Per patriam quælo, quam frater fortibus armis,  
Tu lingua decoras consilijsq; togæ,  
Per patriam quælo, qua nil tibi carius unquam :  
Incolumem cui Te poscimus esse diu.

Pietatem in defunctum, observantiam in  
Patronum, fratres,

*qualibuscung, hñ testari volu*

J. L. Praschius

---

¶ VI. §

A M.

**AMICITIÆ ET MERITIS.**

VIRI ET CENTURIONIS.

NOBILISSIMI AC STRENUISSIMI.

**PETRI LENZI.**

QUI

COMITIA PERMUTANS MILITIA.

ET

DUPLICI HONORE CLARUS.

DUPLICI MUNERE ORNATUS.

PACIS AC BELLI.

IMPEIR

IMPERIO ÆQUE DEVINCTUS AC PATRIÆ  
JAMDUDUM.

POSITIS MILITARIBUS TYROCINIS.  
CUM IN PANNONIA.

CONERTA CUM OTTOMANNIDIS MANU  
STRENUE PUGNANDO OBISSET.

E T  
VINCENDO ESSET VICTUS.

VEL POTIUS FATIGATUS.  
SANGUINE SUO ITER APERUIT VICTORIÆ.  
QUÆ INSECUTA EST LÆTISSIMA.

SANGUINE SUO IMMORTALE SIBI NOMEN SCRIPSIT.  
INGENTI INTERIM RELICTO DESIDERIO.  
AMANTISSIMIS FRATRIBUS ET AMICIS,

QUOD SI RESPICIATUR,  
PARUM VIXIT.  
SI AUTEM RES GESTÆ,  
SATIS VIXIT.

SI PRÆSENS RERUM STATUS.

NIMIUM DIU VIXIT.  
SI MEMORIA FACTI GENEROSI.

SEMPER VICTURUS EST.  
OFFICI CAUSA.

ARAM HANC SEPULCHRALEM STATUIT.

G., F., G.,

**P**ulchrum est pro Patria vitam profundere **L E N Z I,**  
bellica mors fortis maxima lausq; **Viri.**  
**P**rincipue tua mors, **L E N Z I,** tua vulnera nostris  
Civibus & Muisis sunt celebranda pijs.  
Dum contra immanes Turcas & barbara monstra  
Tartaricæ gentis prælia fortis inis,  
Occidis; est animo violentior ultima virtus,  
hostiliq; prius sanguine spargis humum.  
**V**ulnera plus laudis, **L E N Z I,** quam sanguinis, exit,  
& veniet quondam palma beata polo.  
**I**nterea memori gratissima Patria mente  
servabit civis fortia facta sui.

*Fortissimi Viri*

*&c*

*Amici sui veteris*

Manibus cum honore p.

**G U O L F F G A N G - C H R I S T O P H - Memminger.**

---

*CARTE & MARTE.*

**V**na tenet librum, gladium manus altera vibrat:  
Sic visus quondam **J U L I U S** ipse fuit,  
**E**x utroq;, infit, sum **Casar.** Scilicet Arte,  
& veniat forti gloria **Marte** mihi.  
**E**x utroq; Tibi laudemq; decusq; parasti,  
**Marte** bonus miles, miles es **Arte** bonus.  
**P**rima ferebatur doctas exulta per **Artes**  
ætas, quæ sequitur, **Marti** amabat opus.

Hinc

Hinc Patriæ ductus studio ( velut incola saxi,  
aerio nido fulminis ales abit,  
inq; greges rapitur ) ruis in vaga castra Getarum,  
fortiter opponens militi utrumq; latus.  
Verum heu! horrisona trajectus tempora glande,  
oppetis, & forti sanguine spargis humum,  
Sat laudum virtus nacta est ! Te secula noscent  
postera : quis fueris, fama loquetur anus !

*Monumentum hoc Lm<sup>g</sup> pos.*

Nobiliss. ac Strenuo Dn. Capitaneo &c.

M. JOH. CHRISTOPH. WIDER  
GymnasI Poët. Rector.

IX. S.

*In obitum gloriosum*

Nobilissimi Dn. PETRI LENZII.

**H**Æc duo si faciunt, ut quis sit nobilis, Ars, Mars,  
Tu duplicis laudem nobilitatis habes.  
Nam pia sectanti Musarum castra, secundum  
Ingenij claras interioris opes,  
Munera belligeri tandem placuere gradivi,  
Armaq; pro Patriæ ferre salute decus:  
Strenuus in multis fueras ut miles arenis,  
Signum multoties ore vel ære sonans,  
Sollicitus vigiles somno sine ducere noctes  
Visus es, & laudis spe graviore rapi.  
Inde merebaris Capitaneus inclytus esse.  
Ornator spartæ nobilis ipse tuæ-  
Finis, ut optatum Patriæ decus esse valeres,  
Sive sit illa Togæ tempore, sive sagi,

Ast

Ast aliud superis placuit; Clementia cœli  
Te voluit cunctis eripuisse malis.  
Dum te pugnantem pro viribus impetus hastæ  
hostilis jussit mortis adire viam.  
Gloria Bellonæ prænobilis ergo valeto,  
Mors tua mors non est, sed bonitatis iter.  
Non cedit infelix, cui meta est unica Christus,  
Cui verbum gladius, cui clypeusq; fides,  
Cui curæ patria est, cui religionis honestas;  
Qui Jove se munit, cum Jove victor erit.

Lugubri venâ exarabat

Philipp. Ericus Wider.

¶ X. §

MUltum est, pro Charis animam profundere caram,  
Atq; alias ut serzes pedere malle tuam!  
Plus est, pro aris atq; focis certare, nec unquam  
Cedere, cum pulchrum est, Patriæ amore mori!  
Plurimum inesse rei solet, omnia propter Jēsum,  
Atq; ipsam vitam perdere velle suam!

Hæc

In honorem & memoriam persistenui Dn. Petri Lenziij p. m.  
ex debitâ condolentiâ adjecta,

M. Joh. Gæncker  
Eccl. Patr. Min.

¶ XI. §

DUm sævi Hungaricis Turcæ grassantur in oris,  
quosq; Orcœ eduxit Tartarus ipse Parens,

LENZIUS

**L**ENZIUS impavido Patriæ se pectori sistic,  
& lecho Patriæ milite cinctus abit.  
**A**pplausus dedimus, votis comitamur euntēs,  
ad Superosq; preces fundimus ore pias.  
**N**ostra tamen rapuit Boreæ vis turbida vota,  
& Deus aversa respuit aure preces.  
**N**am modo Pannonias dum **L**ENZIUS attigit oras,  
atq; Aquilis junxit Patria signa sacris ;  
**O**crys armatas passim per littora turmas  
ostentant Turcæ, ac prælia sæva movent.  
**B**arbarus it clamor cælo, pugna aspera surgit,  
Telorum nubes sidera clara tegit.  
**A**ufugiunt, lethi quibus haud est cura decori,  
atq; quibus trepidis spes animusq; cadunt.  
**L**ENZIUS at contra Turcas fortissimus ivit,  
Inferias mactans Turcica monstra suis.  
**E**gregium Patriæ decus, & memorabile nomen,  
Nescia si facerent parcere fata moras !  
**S**ed dum, qua medius pugnæ vorat agmina vortex,  
irruit, & socios ad socia arma vocat ;  
**D**um decus affectat pulchræ decerpere palmæ,  
præq; fuga turpi mors generosa placet ;  
**V**ulnere crudeli occubuit fortissimus ille,  
atq; animam campos misit ad Elysios.  
**O**pulchram mortem, condigna & laude canendam,  
quæ sacra est Patriæ, quæq; dicata Deo !  
**C**ontigit illa Tibi LENZI fortissime, quare  
Non tam lugendus, quam celebrandus eris.  
**C**redite Vos sancti Manes, iam Patria laudes  
cantat, & in tabulis fortia facta notat.

C

Fortia;

Fortia facta canet semper, sic LENZIA virtus  
post obitum æterna laude superstes erit;  
Quamq; in Pannonijs meruit fortissima campis,  
Elysijs dabitur palma beata locis.

*In honorem fortissimi Viri & pro Patria  
gloriose defuncti.*

M. Georgius Wonna/  
Eccl. Evang. Ministr.

---

¶ XII. §

*Epigramma.*

PETRA dedit nomen, constans ceu PETRA stetisti  
pro PETRA CHRISTO, fortiter inde cadis.  
Non cadis, æterni surgunt monumenta decoris,  
æternus vivit MARTIS & ARTIS honos.  
In nunc Turca ferox! In nunc! & prælia tenta;  
Nemo cadit nostro è milite, quando cadit.

*Ultimis honoribus Centurionis pro religione  
Christianæ & Patriæ libertate in Hun-  
garia fortiter occubentis,  
posuit*

Hieronymus Radius Ratisp.

---

¶ XIII. §

MORTALIUM quis est, fuit, vel unquam erit,  
Pro Patriâ qui sanguinem profunderet,  
Ni certa spes, superstitem famam fore  
Post facta, nec prius perire, quam orbis hic.

An..

Annō Polymni Filio fortissimo,  
Themistocliq; & Cesari cū Tudio,  
Licebat otiorier , silentio  
Simulq; vitam, qua fuit, traducere ?  
At seculorū seralau & gloria  
Hos impulit, periculis utinovis  
Et jugib; se traderent laboribus,  
Pro Patriis aris focisq; patrijs.  
Hoc emulari LENZIUS conatus est  
A flore primo blandiorū temporis.  
Nam Palladi vitam sacraverat suam,  
Ut ab Deā unā literas addisceret  
Et arma, libros sciret atq; lanceas  
Tractare, ut esset Civibus solatio,  
Et Patrie sue suū & hostibus  
Formidini. Virtutē hicnē callis est ?  
Hu ipsus est ; Hic ipsus est. Hic ardua  
Ad astra dicit. LENZIUM videre vū ?  
Attolle vultum, quūquāes ; vel accola  
Spumantis Albis es, vel Istriturgidi,  
Aut Neccarum, vel frigidum Rhenum bibū,  
Salamq; vel Mænum aut Uisurgen navigas ;  
Attolle vultum, LENZIUM inter sidera  
Nunc inveni cū militum Ductoribus,  
Qui sanguinem pro Patriā nuper suum  
Fudēre terrā Pannonā, & clarā nece  
Vicere Turcas impiosq; Tartaros.  
Nunc stringe porrō acinacem, Thrax barbare,  
In LENZIUM. Nil amplius tolles. Ei  
Vitam abstulisti ? Haud sufficit. Fama decus

Tollendum erat. Non nesciebas, arbitror.  
Quòd hecce mors sit vera vita LENZIO.

M. VIRGILIUS Secundus  
Donaverus,

¶ XIV. ¶

**D**A tuba lugubrem sonitum, date tympana planctum,  
Funereos defletibia eburna modos;  
Bellica raucisonum tormenta sonate, fragore  
Ut montes, Cœlum, terraq; cuncta tonent.  
Hic honor est Ducibus, benè remq; gerentibus aptus  
Militibus, Martis sic stata sacra jubent.  
Cum Ducibus, heu! pugnaces cecidere manipli,  
Sparseruntq; suo pingue cruento solum.  
Quos inter sua fata tulit præclarus alumnus  
Martis, cui cessit Centurionis honos:  
Cujus ab ore olim pendebat tota Parentis,  
Et quæ nunc Fratris consilio fruitur,  
Urbs, quæ Danubij flaventibus adjacet undis,  
Quæq; bonæ clarum est, nomen adepta Ratis.  
Hæc tibi natales dedit, hæc, fortissime quondam  
Lenzi, Musarum castra sequi voluit.  
Pro quibus ut vidit te Martia castra juvare,  
Atq; togæ rutilans antetulisse sagum:  
Annuit, atq; suam tibi credit prona cohortem,  
Pro Patria dicens suscipe Martis onus;  
Proq; focis, arisq; & libertate tuenda,  
Infer barbaricis armare recepta Getis.  
Quod si fata dabunt reducem, incolumemq; videre,  
Omnibus ex voto condecorere modis.

Namq;

Namq; Duces valido Patriam qui Marte tueruntur,  
Hos ut semideos cernis in orbe coli.  
Quod si fata negent, sed adacto in pectora ferro  
Fortiter occumbas, glande petite cadas,  
Tanta tibi grata statuam monimenta sepulchro;  
Omnibus ut vivat nomen in orbe tuum.,

*Supremi honoris E. F.*

Joh. Sigmund Aeschinger.

¶ XV. ¶

Quae Tibi prærepti Fratris solamina, LENZI,  
ordiar ante rogos? quæ verba medentia fundam?  
Non de Castaliæ Carmen vocalibus undis,  
nec teneros poscis cantus, sed fortia mavis  
lamenta, odistiq; chelyn, dum Nænia totâ  
æde sonat, Fratremq; gemunt obijssè Penates,  
Me miserum! namq; ipsa ferit præcordia luctus,  
nec lachrymis potero satis exæquare dolorem.  
Molior in carmen squalidos convertere luctus?  
orsa dolor prohibet, lachrymis quoq; carmen in ipso  
ore natat, tristesq; cadunt in verbalituræ.  
Diffugunt hilares ederæ, plorata Cupressus  
stat circum, & Martis socios lamenta fatigant.  
Dicite, quem tanto luimus mœrore, quis error?  
dicite crudeles, vestra hæc insania, Parcæ,  
tot fortis sudisse viros cum sanguine vitam,  
dulce quidem Patriæ est, etiam post fata decorum;  
Sed fratum jactura animos arrodit, & ipso  
infandum sub corde solet nutrire dolorem.  
Vicimus! exclamat miles! Victoria multo

Sanguine parta Ducum non est Victoria, Natos  
et, Fratres, fortesq; nefas, succumbere letho.  
Annon armorum satura es Bellona? Triumphis  
Pax una innumeris potior; crudelia mavis  
Bella? in perniciem cunctis jam viribus itur  
Sed varijs præstat caput objectare periclis  
magnanimum, & nostris expellere finibus hostem,  
pro Patriâ pugnare, mori, pulcherrima laus est.  
Roma suos laudat Decios, Carthago Philænos,  
qui celebre, illusis, nomen posuere, Cyrenis,  
magnanimumq; Ducem Codrum mirantur Athenæ;  
Ec Te fama manet LENZI, Tibi carmina dicunt,  
Virtutiq; Tuæ ponunt monumenta Camœnæ,  
Qui modo Victor eras terris, agis ecce! triumphum  
in cœlis. Sic clara viget post funera Virtus.  
Castrensem expectas Victor pro more Coronam?  
En viridi cingunt Superi Tua tempora lauru.  
ô Te felicem, qui gaudia mille capessis.  
Victor ovans! nos Bella manent, incommoda mille,  
Interea, dum fata sinunt, Tua gesta canemus,  
& laudes, Nomenq; Tuum sacrabimus astris.

Panc' hisce Beatisimunz Nobilissimi Domini Lenzi, Bello contrâ  
Turcas strenue pugnantu, obitum, non sine lau'rymis  
prosequi voluit, debuit

M. J. H. GEORGIUS Schwabe  
Ratisbonensis.

---

— OS XVI. —

Propatriâ dulci vitam fudisse decorum,  
Præstat & ancipiti Marte objisse diem.

Namq;

Namq; horum laudes, ac inclyta facta manebunt,  
Post cineres clarum nomen honosq; cluet.  
Ergo tuum, in bello moriens, fortissime Lenzi,  
Immortale decus, fama perennis erit.

Debitæ observantia ergo f.

Johannes Albertus Gumpelzhaimer.

•§ XVII. §•

Enturio patrius patriam dum protegit armis,  
Et modò pro patriæ sumserat arma focis,  
Turcica quēis voluit contra jam tela tenere,  
Viribus ac hostem sternere præcipitem.  
Eheu ! succubuit, multis cum Martis alumnis,  
In signis pugnâ Lenzius ancipiti.  
Stat tamen Imbrioli semper tua bellica virtus,  
laudis erit nunquam fama caduca tuæ.

*Paucula hac ex condolenti animo  
adjicere volunt,*

Fridericus Tusco, Novi  
Templ. Cantor.

F I N I S.

